28

# IESVS, MARIA, IOSEPH.

# PRO

## NOBILIBVS, ET REGIIS CONSILIARIIS D. D. IOSEPHO DE Leyza & Eraso, Asesore Ordinario Generalis Gubernationis Regni Aragonum.

## D. Ludovico Pastor & Bertran, de Aulâ Criminali Regni Valentiæ: Allectis Coniudicibus Visitationis Generalis Principatus Cathaloniæ.

## CONTRA

## *FISCI PROCVRATOREM GENERALIS EIVSDEM PRINCIPATVS.*

INSOLENS fortè, & â sæclis inauditum, Supremos Sindicatores Provinciæ, actricem Provinciam pulsasse ad iudicium, sponsionis propriæ ream. Per actâ Visitatione Generali de anno 1677. (post effussas preces Principatus Cathaloniæ) ab Invictissimo Carolo II. Domino nostro, & Rege liberaliter elargita; discussisque maturè omnibus negotijs, ad sindicatum pertinentibus (quorum numerus sexaginta ferè causas discretas continebat) circa salaria, honorariavè stipendia peregrinis Iudicibus præstanda, de tribus contigit dubitari, non sinè administratione Provinciæ.

### CIRCA PRIMVM.

Vtrum iura sigilli, commissionis, & delegationis debeantur à Principatu; an à Coniudicibus?

Ex voto, & Instituto Principatus precibus impetranda Visitatio, & si opus fuerit mittendi ad Regiam Sindici, & Legati sumptibus, etiam immodicis Provinciæ: ergò subijcitur omnibus expensis ad Sindicatum necessarijs sinè dubio expressa de hoc Const. V. sub tit. *Forma de la Visita*, ibi: *A gastos, y despeses del General*; & Const. VII. ibi: *Que de pecunies del General*, *&c.* In eundem ferè scopum collimant vniversa iuris scientiæ elementa, *L. quoniam liberi* 11. *C. de testib*, ibi: *Vel ab his per quos fuerint postulati sumptus competentes dari percipiat. Gloss. inl. fin. C. de erogat militar annonæ. lib.* 12. *l.* 17. *tit.* 17. *part.* 3. latè *Covarr. pract. qq. cap.* 11. *num.* 11. *vers. Decimo quinto. Franch. decis.* 332. *Scobar de ratiocinis cap.* 42. *num.* 6. *&* 8. *Specul. tit. de Asesore*, §. *Salarium*, *vers. Quod si alter. Gratian. discept. forens. cap.* 55. *num* 44. *Menoch de arbitr. lib.* 2. *cas.* 223. *Garcia de expensis*, *& melior. cap.* 21. *num.* 8. *circà fin D. Petrus de Amigant eruditè satis in addit. ad praxim D. Ludovici à Peguera, tit. de litium expensis. rub.* 30. *num.* 64. *cum Sardo, Xamar & Fontan.* pulchrè *Boerius decis.* 303. *n.* 9. *& idem in Reformatoribus à Rege ad aliquam reformandam Civitatem datis, quibus ab ipsa Civitate expensæ ministrandæ sunt*, punctim *Gabriel Verart. in speculo Visitationis Cathaloniæ, cap.* 3. *n.* 8. *&* 81. ibi: *Quando scilicet Visitatio, seu reformatio petitur ad instantiam ipsius Civitatis: & cap.* 23 *num.* 77. In Visitatione Pharmocopolarum, & aliorum vtensilium. Decissum in terminis; *à Sacro, Regio, & Supremo Consilio Coronæ Aragonum, die* 6. *Iulij* 1676. vt attestatur Insignis Romanæ Iurisprudentiæ Commentator; nusquam satis pro dignitate laudandus *D. D. Laurentius Matheu & Sanz* (*prædictæ Visitationis Princeps*, *& in dicto Sacro Consilio Regens*) *tractatu de regimine Regni Valentiæ, cap.* 3. §. 1. *num.* 56.

Nulla est delegatio sinè Regio Sigillo, vel encausti sacri annotatione, *l. sacri affatus* 6. *C. de diversis rescriptis.* Sigillum est de substantia litterarum *Menochi de arbitr. lib.* 2. *cas.* 113. *nu.* 11. *Azebedo lib.* 8. *tit.* 17. *l.* 13. *novæ Recopil. n.* 13. *Sola in Const. Sabau. tit de donat. min. part.* 5. *gloss. vnic. num.* 4. *Covarrub. tom.* 2. *var. cap.* 22. *num.* 9. *ex l. Tribunus*, §. *vlt. ff. de testam. milit.* habet vim subscriptionis: *Roman. cons.* 303 *num.* 2. probat consensum delegantis *l.* 26. §. 1. *ff. de pig-*

no-

*noribus*, *l*.128. §. *Chrisogonus*, *ff. de V. O. l*.2. *C. de rebus eorum*, *l*.8. *C. de fideiussoris Gravat. ad Vestrium, lib.6. cap.*1.*nu*.9. *Afflictis decis*.21.*nu*.9. *& decis*.253. nec aliter dicuntur litteræ expeditæ *Ludovisius decis*.440. *num*. 5. *vbi Beltram. in fine*, gratanterquè solvuntur ab impetrante *Marta novissimor. digestor. tit. de expensis, cap*.23. immò & à contumace *Peguera decis. crim*.186. *Marta dicto tit. cap*.39. Apostolos reverentiales sigillatos solvit appellans, *gloss. in Clement. quamvis* 2. *de appellationibus. Tiraquell. de retract. gloss*.10. *num*.107. *& gloss*.17. *num*.7. *Afflictis lib*.2. *cons. rub*.45. *num*.22. *Boerius decis*.303. *num*.5. *Ioan. de Paz tom*. 2. *part*. 5. *cap. vnic. num*. 7. Et plurimis Regijs, & sacris Pragmaticis sinè vlla exceptione Civitatū, Personarū, & Regnorum stabilitum reperitur. *Iosephus Ludovicus decis. Perus*. 74. *Soccarratis*, adamusim *in Constitutiones Cathaloniæ, fol*. 15. *num*. 31. ibi: *Verbum enim expensæ appositum in huiusmodi commemorationibus generale est, & sic generaliter accipiendum est, vt leg*.1. §. *generaliter ff. de legat. præstand. & eius appellatione venit quidquid* circâ illam rem *expensum est, vt dicunt DD*.

CIRCA SECVNDVM.

An tempus trium mensium designatum ad pronuntiandum, & definiendum Sindicatum debeat, computari in præparatorijs necessarijs, ad congregationem in loco iudicij?

Trimestre asignantur privativè â constitutione ad conferendum, & pronuntiandum Barchinone in loco iudicij secreto, designatione cerciorata à Visitatore principali Adventantibus Consocijs de remotis Provincijs. Ergò re ipsâ inest aliud præparatorium tempus, opportunum, discretum à Trimestri, ad innumera peragenda antè primum congregationis diem, arbitrio domus inclytæ Generalis computandum. *L. continuus* 137. §. *cum ità* 2. *ff. de V. O. Cum ità stipulatus sum Ephesi dari, inest tempus; quod autem accipi debeat, quæritur? & magis est, vt totam eam rem ad Iudicem; idest ad Virum bonum remittamus, qui æstimet quanto tempore, diligens Pater familias conficere possit, quod facturum promissit: Vt qui Ephesi daturum spoponderit, neque duplomate, diebus, ac noctibus, & omni contempta tempestate iter continuare cogatur: Neque tā delicatè progredi debeat, vt reprehensione dignus appareat: Sed habita ratione temporis, ætatis, sexus aut valetudinis, cum id agat; vt maturè perveniat, idest eodem tempore, quo plerique eius conditionis homines solent pervenire*; cuius ductu *Solorzanus idem firmat, in Polit. Indiar. lib*. 5. *cap*. 4. *fol*. 780.

Qui præparata solvit præparatoris astringitur, expressìm *Berart. in Speculo Visitationis Cathaloniæ, cap*. 14. *num*. 38. *In calculo recipiendum erit quidquid expensum apparuerit de publico ærario, in ornatu viarum, & alijs* præparamentis *in fœlicissimo Regis adventu, vel in ampliandis ædificijs pro pulcriori aspectu factis, cum Abendaño, Garcia, & Bobadilla*.

Et quiâ impossibile iuris, & facti erat, computare quæ tam diversa, & discrepantia se se offerunt intra trimestre tempus, (taxatum ad conferendum, & pronuntiandum) consuetudo inveterata, & solennis Cathaloniæ quindecim, vel decem dies solvendos esse sancivit, quod vim legis habere decrevit *Bald. in l*.1. *opposs*.5. *C. Mandati*, etiā si à constitutione fuerit prætermissum. latè *Gratian. discept*.257. *nu*.35.36. *&* 37. Sequuta est Rota Romana notoriam consuetudinem in plurimis decissionibus allegatis per *Cavalerium decis*.400. *num*.2. Non conventum salarium solvitur ad mensuram consuetudinis *Farinac. decis*.118. *tom*.1. *in posthum. & decis*.329. contra Deputatos Regni Valentiæ, in favorem Procuratoris Vivez, Causidici Romani, cum summa laude procurationem gerentis, *& decis*.157. *num*.2. *in selectis. Puteus decis*.44. *num*.2. *lib*.1. Semota etiam consuetudine per viam regulæ *Amaya in lege vnica. C. de præbendo salario, num*.24. *&* 25. *ex Angelo in leg. cum Navarchorum, C. de Navicularis, & Naucleris. Aviles verb. Salarios, ex leg*.22. *tit*.6. *lib*.3. *novæ Recopilat*. augendum, & stabiliendum salarium, sinè Principis licentia; oblatâ tantum rationabili causâ, firmissimè convincit.

Cons-

Constitutiones Cathaloniæ scribentes de salarijs interpretandæ sunt secundum consuetudinem, *Soccarratis fol. 94. num. 5. vbi expressè*, & seriosè, & opportunè, *fol. 530. vers. Sed pone, quod Dominus dedit Iudicem extrà locum Domini, queritur quis solvet sumptus, & expensas quas faciet Iudex in veniendo ad locum iudicij, quia debet habere equitaturas, & salaria dietarũ? Respondeo, quod Dñus qui dat debet habere eum in loco* designato *suis proprijs expensis, & ita servatur de* consuetudine *prout reperitur scriptum in lib. G. Domenge, Iuris vtriusque Doctoris magnæ auctoritatis, & practici Gerundæ, & etiam vassallo debet dari coss. & obs. aliàs, nimium gravaretur vassallus.* De viribus observantiæ interpretativæ Constitutionũ, in voto Excellentissimi Proregis data paritate Togatorum consulendus Nobilissimus D. *Raphael Vilosa*, Consilij Regens Supremi, tractatu de *servis fugitivis, disert. 3. à n. 86.* Vbi Iurisprudentiã errantem, apud nationes remotas, dum Parthenopeæ Cameræ Locumtenens esset, ad limina restituit ammissa, & Latij iura ingenij prælio, prælo dedit.

Rationales itidem Iudices Insignis Principatus in expungendis, & calculandis rationibus ærarij, magnificos se jactitant, stante aliquali consuetudine, *Berart. in Specul. d. cap. 14. num. 36. & cap. 22. num. 86.* Vbi copiam casuum ommissorum; elemosynarum, ludorum theatralium plenissimè recenset; & aureis verbis sugillavit Deputationis Arcarijs, *Casiodor. lib. 1. epist. 10. in fin. Providete itàquè vt & arbiter arcæ habeat iustas* cõsuetudines *suas, & quod benemeritis impendimus, incorrupto munere consequantur.*

CIRCA TERTIVM.

An tempus ad pronuntiandum, & quindecim dies asignari ad exequendum sententias, & Tribunalis arresta, possint facundiâ Iudicum maturius terminari non pro ratâ temporis diminuto, sed abintegro persoluto salario?

Opera servilia diurnis temporibus expedita, portione quotâ, & ratâ sinè rubore potiuntur *Bertachin verb. Salarium n. 10.* Ingenij sudor non locatur ad tempus: præmiatur adoreis, non æstimatur aureis, *l. commodis 40. ff. de re iudic.* ibi: *Præmiorum, quæ propter Coronas Sacras præstantur*, mandati actio, non locati decet, *l. si remunerandi 6. in princ. ff. mandati, l. 1. §. 5. ff. de varijs, & extraordin. cognit. l. 1. ff. si mensor fals. mod.* plura Amaya *lib. 10. tit. de Athletis num. 20.* preciosus ille mador facundiæ (*l. vlt. C. vbi Senatores, vel clarissimi*, ibi: *Sudoribus Magisteriæ Potestatis factus clarus*) vtri ære nobilior, est præstantior auro, *l. si Pater, in fine, ff. de donationib. Magonius decis. Florent. 12. num. 1. Proverbior. cap. 8. leg. 8. tit. 31. part. 2. Amaya tit. de Athlet. n. 31.* Indè est quod venusta merces mutilatione fædatur, *Casiodor. lib. 1. epist. 10. Mutilari certè non debet, quod laborantibus datur; sed à quo fidelis actus exigitur, compensatio imminuta præstetur.*

Prædicta comprobavit in specie *Thusc. lit. S. conclus. 8. n. 4. & conclus. 10. n. 1. 2. & 3. Quiâ salarium Iudicibus, & alijs qui ob scientiam, vel dignitatem aliquã se exercent, debetur à principio totũ. Cagnol. in l. diem functo, ff. de Offic. Assessorum.* Moriens intra annum, non solum Advocatus Fisci; sed & cæteri Advocati transmittant salarium integraliter ad hæredes, *l. past. duos 15. C. de Advocat. divers. Iudicum, vt post Gregor. Lopez, Donell. Borrell. Flores de Mena. Barboss. in collect. in d. l. 15.*

Nobilius eandem distinctionem enucleavit *Ossualdus Illigerus lib. 18. comm. cap. 3. lit. Kkk. id in omnibus obtinere scribit, quibus annua stipendia ob operam, & Officium liberale præstantur; non tam vt labor mercede, quam vt beneficium Antidòro compensatur. Secus in salarijs Ministrorum Mercenariorum, & Oppificum: & anteâ lit. G. vt decorossè Caccialupus de Offic. Advocat. quæst. 1. nu. 8. Non legitima solum ratio præsentis laboris, sed & exacti in iure adiscendo: aliâs quo quisque iure doctior* (qui in promptu, & sinè contumaci revolutione librorum) *eò deterioris conditionis foret.* Nobile Officium, non debet esse alicui nocivum, quando servile semper est Auctori lucrosum. *Aviles in cap. Prætorum, verb. Salarios Flores de Mena lib. 1. var. quæst. 8. num. 1. Mastrill. de Magistr. lib. 1. cap. 21. num. 11.*

Sin-

Sindicatus trimestris vnus, & idem est, dum nihil restat agendum, vnicâ expeditione finitur, *l. penult. in fin. C. de his quibus, vt indig. Ramon. cons. 27 nu. 14.* Individuus honos ex asse, sudori correspondet, non divisibili ex semisse, *vt ex leg. Aquilius Regulus 27. ff. de donat. Clarus in §. donat. 4. sentent. 3. relatus à Gotofredo in gloss. dict. legis*, & comprobatur magistraliter à *Barth. in d. l. 1. §. divus, ff. de var. & extraordin. cognit num. 8. Quandoquè illud datur in præmium prudentiæ, & remunerationis laboris, & non potest separari, & tunc debetur totum, & nu. 17. Quod respectu cuius libet facti, non attento tempore dicatur vna obligatio, & vna conductio: Item non attenta solutione: Vndè licet debeat fieri solutio singulis sex mensibus; quiâ hoc totum fit pro* vnâ lecturâ vnius libri *vna est obligatio, & totum salarium debetur.* Punctim *ferè supra dicta decissa, apud Rotam in persona Excellentissimi Auditoris Marcij Antonij de Amatis, decis. Maceratens. 52. nu. 12. & 13.*

Decissis potuit lux rationis præire, quæ in Venuleio resplendet *in l. continuus 137. §. cum in diem, ff. de verbor obligat. Nam quod in diem debetur antè solvi potest, licèt peti non possit: Quid si diplomate* (vulgo postas, aut litteræ tractoriæ, Veredarijs indultæ) *vsus, aut fœlici navigatione matarius, quam quisquè pervenerit Ephæsum, confestim obligatus est, quiâ in eo, quod tempore, atquè facto finitum est nullus est coniecturæ locus.* Quasi diceret, ridiculum est obijcere, consumatum est opus, sed non est consumptum tempus.

Nunciator Alguacirius, Veredarius, aut Cursor; si Viatica perficiat in instanti, (quia nemini volãdo præiudicat Drumone marino, aut terrestri Veredo) mensis diætas lucratur ab integro. Aviles *in cap. Prætor 54. num. 3. vers. Et si pro quolibet milliario*, Bobadilla *lib. 2. cap. 21 num. 245.* Ergo Iudex, qui vigilando omnibus prodest æquali debet conditione protiri; non lucro honoris, & antidòro mulctari: *Cagnol in dict. l. diem fundo, ff. de Offic. Assessor. num. 166. fol. 103.* Ex *Authent. habita, Cod. nè filius pro Patre. Amatis dict. decis. 52. nu. 15. 16. & 17.*

Denuntiatâ causa, collato negotio, ritè actitato processu, Sindicatoris celeritas, non potuit nocere Provinciæ. Tarditas noxia cruciare potest solâ morâ Iurgantes. *Casiodor. lib. 3. Epist. 40. Læsionis genus est profutura tardare; nec possumus æstimare iucundum, quod ingrata fuerit dilatione suspensum; & lib. 11. Epist. 33. Non vos ansia morâ suspendimus, nec cruciabili dilatione fatigamus.* Videndus *Cumia. de Sindicatu, cap. 27 num. 28. Barbos. in Collect. ad leg. 3. Cod. de Offic. Præfecti Prætor. Novar. de gravam. Vasall. gravam. 265. part. 1. Berart in specul. Visit. cap. 17. à num 20. & latè à num. 83.*

Tandem est notum, quòd pronus Assesor sacris affatibus, sindicantis Officium, vasallis exossum, sinè querimonis exercuit; quod Regi, & Regno sonuit miraculum: *Casiodor. lib. 7. Epist. 14. Vt cum res querelosas sinè querimonijs egeris, maiora de nostro examine merearis.* non faustu simplicis Doctoris in iure, (quam solam qualitatem desiderat, Constitutio de anno 1599. missérrimè taxans triginta & quatuor regalia argentea pro quolibet die) Sed commeatu, & famulitio sphæræ tanti Præsidis, & Magistratus condignis: Crescitquè dolenter inficiatio solatij, quod dubium, & in solitum Assessoris adventum, ratione Præsidentiæ imminentis in Regia Metropoli, ob recessum Excellentissimi Proregis, importunis precibus, & litteris missis ad Regiam impetravit Deputatio, quibus annuens Assessor, suffecto, & substituto Illustri Regenti Regiam Cancellariam, eius absentia durante, mille exceptiones reventer omissit, vt integritatis famam, quam ex fide colebat, inferiorem esse gestis ab experientiâ firmaret.

Ex quibus de iure sigilli, præparatorijs assuetis, trimestri, & quindecim diebus, ad exequendum stabilitis, videtur nèfas esse dubitandum. Salvâ gravissima Consulentium censura. Cæsaraugustæ 15. Februarij, 1680.

*Assesor prædictus.*